



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**MDCLXXXVII**

Q. 261. Vtrum possit hoc Sacramentum à multis sacerdotibus confici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

## QVAESTIO CCLXI.

*Virum possit hoc sacramentum à malis sacerdotibus confici?*

1. **C**ertum est per se loquendo vnum sacerdotem esse sufficientem ministrum extremæ vñtionis, vt patet ex paritate aliorum sacramentorum; ideoque cap. *quasiuit*, de verborum significationibus, Pontifex definiuit sacerdotem, vel alio præsentem, vel solum posse infirmum vngere. Iacobus igitur dicens, *Inducat presbyteros ecclesiam*, non significauit esse inducendos plures presbyteros, sed solum esse inducendum aliquem ex presbyteris. Certum est rursus regulariter hoc sacramentum debere conferri ab vnico sacerdote, ita vt idem, qui illud inchoauit, absoluat. His suppositis.

2. Quæritur primò, vtrum possit validè conferri à duobus sacerdotibus, ita vt alter vngat, alter proferat formam?

Respondeo negatiuè, vt docet Suarius, disputat. 43. sect. 2. num. 3. Probat: nam vt dictum est de baptismo quæst. 103. baptisimus non potest validè conferri à duobus, ita vt vnus abluat, alter proferat formam; ergo à pari. Ratio est, quia forma *per istam sanctam vñtionem*, significat vñtionem factam à proferente formam.

3. Quæritur secundo, vtrum possit aliquando validè conferri à pluribus sacerdotibus, ita vt vnus faciat aliquas vñtiones, sed non omnes essentielles, & proferat formas proportionales, alius addat vñtiones, quæ desunt, & sic sacramentum perficiat?

Respondeo affirmatiue, vt docet communis sententia S. Thomæ in 4. distinct. 23. quæst. 1. artic. 1. quæst. 2. ad 3. Richardi, Durandi, Ledesimæ, Syluestri, & aliorum, quos refert, & sequitur Suarius disputat. 43. sect. 2. num. 5. Ratio est, quia cum sacramentum aliquod fit per plures partiales materias, & plures partiales formas, legitimè posita vna partiali materia, & vna partiali forma habente suam completam significationem, si minister moriatur, non debet quidquam iterari, sed solum debet suppleri quod deest, & sic sacramentum perfici: ex. gr. quia ordo sacerdotalis confertur partialiter, tradendo instrumenta, & dicendo, *Accipe potestatem &c.* ac deinde imponendo manus, & dicendo, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseras peccata &c.* si episcopus, data potestate consecrandi, moriatur, antequam imponat manus, dicens, *Accipe Spiritum Sanctum*, ab alio episcopo debet suppleri pars secunda sine iteratione primæ: si sacerdos, consecrata hostia, moriatur ante consecrationem calicis, alius sacerdos debet consecrare calicem, non autem iterum proferre formam super eandem hostiam; sed extrema vñtio confertur per plures vñtiones, & per plures proportionales formas; er-

go si sacerdos vngens moriatur, antequam sacramentum perfecerit, alius sacerdos non debet iterum vngere partes legitimè vñctas, sed solum debet supplere quod deest, vngendo alias partes, & proferendo formas proportionales. Licet autem sit disparitas, quod in consecratione eucharistiæ, & in collatione ordinis consecratio hostiæ iam habuit suum effectum ponendi Christum sub hostia, collatio potestatis consecrandi habuit suum effectum dandi potestatem consecrandi, & imprimendi characterem, at vñtio vnus partis non habuit suum effectum, tamen hoc materialiter se habet quoad hoc, vt materia, & forma legitimè posita non debeat iterari.

4. Ex tradita doctrina sequitur, quod si sacerdos, non absolutis quinque vñtionibus, moriatur, alius sacerdos non solum potest, sed etiam debet non iterare vñtiones factas, sed solum addere ommissas, vt docet Suarius, disput. 44. sect. 2. num. 5. & 6. Porro singulare est in hoc sacramento, vt constet ex pluribus partialibus vñtionibus, & formis non ponentibus suum effectum; nisi cum sacramentum est perfectum. Adde, quod si plures sacerdotes absque necessitate conferrent hoc sacramentum, ita vt vnus poneret vnam vñtionem, & formam, alius aliam, peccarent grauiter, sed sacramentum esset validum.

5. Infert Ruardus artic. 12. quod si plures sacerdotes eodem tempore vngerent, ita vt vnus vngeret vnum sensum, alius alium, validum esset sacramentum, siquidem non est de essentia ipsius, vt vñtiones ponantur successiuè. Si plures simul vngerent eandem partes, si vnus prius absolueret, ille solus conferret sacramentum, si simul, vterque, vt in simili dictum est de baptismo quæst. 103.

## QVAESTIO CCLXII.

*Virum detur præceptum recipiendi extremam vñtionem?*

1. **N**on datur præceptum affirmatiuum, obligans etiam eum, qui est in extremo periculo vitæ, ad sumendam extremam vñtionem, vt docent communiter Theologi, nimirum S. Thomas in 4. distinct. 22. artic. 1. quæst. 3. ad 1. Paludanus, Sotus, Syluester, Nauarrus, Caietanus, & alij, quos refert, & sequitur Suarius disputat. 44. sect. 1. num. 2. Ratio est, quia hoc præceptum neque est naturale, cum hoc sacramentum sit medium solum vtile, non autem necessarium ad salutem; neque est positium traditum à Christo, vel ab ecclesia, cum nullibi inueniatur, & verba Iacobi *Inducat &c.* non sint præceptiua; neque est introductum consuetudine, cum Theologi communiter negent hoc præceptum. Videtur tamen præceptum suscipiendi hoc sacramentum admittere